

* P * V * I * S *

* 1 * 6 * 2 * 4 *



1. Paraphrasis Psalmi LXXXII M. Zachariae Wennenezeri
 II. Psalmi Davidici 121. 91. 125. 124. Gregorij Bersmanni.
 II. ~~Præmie de Christo recens nato Joaschini Flemingi~~
 I. Lessius Casareus Cyriaci Herdesiani sup obitum Rudolphi Imperatoris
 V. Soteria Dn. Johanni Georgio Saxonum Duci Academia Wittebergensis.
 VI. Votivus applausus Dn. Aug. Principi Anhaltino administrationem principatus Cisalpinii
 suscipienti. Federici Theodori Gorlicii—
 VII. Teos qv r#6 u evqix ad Dn. Augustum Principem Anhaltinum Thomazij causa Ser-
 vestan nigrehum M. Petri a Jena.
 X. Epitbalamium Marci Federici Wendelin
 ad Dn. Augustum Ducem Bruno vicensem.
 s. Epitbalamium ad eundem principem Jani
 Cremeri.
 Ecloga Gregorij Bersmanni Rudolpho Princi-
 pi Anhaltino sponso scripta.
 XI. Teos qv r#6 u Dn. Rudolpho Princ: Anhal-
 tino scripta à Collegiis scholæ Servestane.
 XII. Epicedium in obitum Dn. Rudolpho Princ: An-
 haltini Abrahami Cremeri.
 XIII. Strena Poëtica Christophori Heroldi.
 XIV. querela Saravictoris et Biomeæ.
 XV. Gregorij Bersmanni in pontem sibliicum
 Desuënsem Carner ywawuasveov.
 XVI. Joaschini Flemingi Piculum scholasticum.
 XVII. Abrahami Vlrici Diagraphæ Laboris
 Scholastici.
 XVIII. Coronis Collegio Disputatorio et Oratorio
 imposita.
 XIX. Typus Depositionis Scholasticæ Fri-
 derici Widebrani.
 X. Bulla et amuletum M. Bloey.
 CI. Oda honoribus Dn. Danielis Bircsardi.
 Dn. Johanni Christophori Hartmanni. Dn.
 Philippi Neudlizeri. Dn. Matthæi Coleri
 Doctorum scripta.
 XXII. Gratiarum Actio M. Johannis Copperij
 post Magistrij autum pronuntiata.
 XXIII. Exequias xv Cerevisiæ Servesta-
 ne Danielis Berckneri.
 XXIV. Dehortatio à Catemnijs
 XXV. Germania ad Principes epistola Abt.
 Martino Pratorio.
 XXVI. Votum Scholæ Vesaliensis.
 XXVII. Teos qv r#6 u ad Dn. Johannem Sturium.
 XXVIII In honorem Magistrij Dn. Johannis Cremeri.
 XXIX. Trizinta Juvenum M. Christiani Galli
 Stalo-Saxonis.
 XXX. Adami Forwerij Federici Stres-
 nis Ernesti Wulstorgij.
 XXXI. Eorundem
 XXXII. Juvenum 37. M. Theophili Carisber-
 XXXIII. Johannis Cremeri.
 XXXIV. In honorem Notariatus Valen-
 ti Gelani.
 XXXV. Strena anagrammatum quadrifida
 Christophori Heroldi.
 XXXVI. In nuptias Dn. Wolfgangi Flemingi
 A. V. D.
 XXXVII. Epusen Johanni
 Nicolai Maij.



Quod DEUS benè vortat!

P A R I

Sponsorum Inclito

*Illustrissimis, Celsissimis, Generosissimisq;
Principibus ac Dominis*

DOMINIS

AUGUSTO,

DUCE BRUNOVICENSI ET LU-
NÆBURGENSI, &c.

ET

DOROTHEÆ,

PRINCIPI ANHALTINÆ, COMITI
Ascaniæ, Dominiæ Servestæ ac Bernburgi, &c.

Serenissimi atq; Pientissimi Principis Anhaltini

RUDOLPHI VI. &c. *et mancipio, &c.*

Ex

Illustrissimâ

DOROTHEA HEDWIGE, DUCE BRU-
NOVICENSE &c. b. m.

Suscepta & relicta

FILIÆ

VII. Kal. Novemb. Anni 1623. SERVESTÆ
ANHALTINORUM.

Matrimonium ineuntibus:


Congaudent & congratulantur

M U S Æ

JANI CREMERI SILESI Musophili.

VVittebergæ, Typis JOHANNIS GORMANNI, Anno 1623.

*Viro clauso. Dn. Al. Petro a Jena
Præceptioni obsequio & cum salutis
multiplicis mittit J.C. p.*



TAMIKON



Ensa forte nox erat, quâ Aves silentq; garrulæ,
Quâ silent voces Canumque, densa forte nox
erat:

Somnus & mea occuparat membra, qui cubat
fores

Ante avernales, fugarat usq; dum nubeculam,
Quæ nigrore præterit vel quamlibet nigredi-
nem,

Flamma Divula emulantis delicatam purpuram.

Ecce verò, summo ab ortu prospicit dum Circitor
Sol poli, altus & super me habet, pedem Cubilibus

Visa nostris ponere est, mihi que in aurem dicere

Prima ter trium sororum: Surge, surge; quid moram

Nectis? Surge, surge piger; mihi que in aurem dicere

Visa *Diva* est, ponere & nostris pedem Cubilibus

Prima ter trium sororum. Vestiebat purpurâ,

Quam Getulis ortam in oris de cruore piscium

Coxit ebriis arenis tinctor, ac mangonio

Reddidit dignam hoc & illo Principum palatijs,

Undique hinc & hinc tenellum corpus; atque *sindone*

Vestiebat corpus hinc & hinc tenellum *Divula*

Prima ter trium sororum: Cui fluebat aurea

Collo eburneo *coma*, & fragrans odore myrteo,

Quam suo capiti *Lycus*, quam *Phæbus* vellet suo.

Artis autem rarioris, gemmulisque fulgida,

A 2

Indis

Indis atque dentibus distincta, & apta Carmini
Parte pendebat sinistra, quam feribat dexteram
Albicanti, dulciores ore vibrans modos,
Testudo loquacior, mensisque grata divitum, &
Grata templis; unde tinnit omnis æther, angulus
Omnis unde tinnit & tintinnit auris Thraciis.

Turba verò cetera octona interim Pimpleidum

Ad modos salit *Sororis* ordine & sonantia
Fila ductitat chorèas, & solum natat pede,
Libero: Ac figit pedem quàm, quàm refigit & pedem.
Ilicet surgit polo *Panchæus* ecce *Spiræus*,
Purpurans auroq; *Amaranthus* crescit & *Thymus* fragrans,
Silva surgit *liliorum* & *viola* crescunt pallidæ
Et *Rosarum* largus imber Liliis vernantium
Jungitur *flos Cypridosq; Chloridosq; gratia*.
Sed quid? Inter hæc novella quamnam ego puellulam
Florulenta conspicio vireta, disparem haut *Dea*
Candida ora? Fallor an ne ex *Gratiarum* dictit em
Esse, quis mens una semper, una semper est fides,
Ternione? Palladem ve esse dicam, quæ Jovis
De Cerebro olympij prognata fertur? Non ea est,
Non ea est: Sed *Gratiarum Prima blandientium*,
Primitus ceu ominabar, *prima blandientium est*
Gratiarum, Aglaja suaviore quæ vocamine
Dicitur. Sed lacteo *canistra* quid pendentia
Flexilique texta vimine, & colora brachio?
Herbularum, quas colligit *Dea*, continent, novellulas
Continent *rosas, violasq; & lilia* quæ tulit dies:
Namque solis antea acti marcida & languentia
Nulla textili corollæ nulla sunt accommoda.

O vio-

O violis vitam caducam! Et ô viris vitam brevem!

Una scilicet viros fors, una fors flores tenet:

Ocyus florere utrumque cernis, rursus ocys

Deflorere utrumque cernis, marcidoq; tangere

Frigidum mento solum. Tam sunt caduca terrea!

Interim dum germinantes subsecat flores Dea
Floridas sibi in corollas castiore pollice;
Dumque Musici chori Regina sic eburneo,
Dulce concinens melos, studet decora verberere
Eruditâ dexterâque blandulam testudinem
Verberare: dum sorores fervidum saltant chorum
Emmetra ad Dea sonora, & sudat in primis Choris
Dux Apollo: Experge factus conspicor pellucidum
Solem fontium sacrorum conspicorque Numina
Antè lectulum chorêas ductitare, jungere
Seque eis cum floreo suo quasillo Aglajam.

Hæc solutâ mox chorêâ gratiosâ lingulâ
Taliter mihi inquit: Ergò tempora, ergò tempora
Fallis, ô Cremere fallis? ô Piger! dieculam
Multam ad usque stertis atque? Lineam nunc septima
Tangit umbra: turpe certè membra nondum lectulo
Sustulisse. Namque Eöo purpurans salo caput
Extulit jam Cynthius, suoque cuncta lumine
Inspicit. Quidnam moraris? Surge, surge protinùs
O Cremere, linquestrata. Dum loquor, mox altius
Phœbe procèsti gradatim: quid? medio nites polo.

Dixit. Ipse nil moratus vota Divi persequor
Candida hortatus, toriq; desilire stramine
Impiger maturo: Dum mihi que vestis sumitur
Ecce cum Sacro Parente triga triplex Aonis

A 3

Avolavit;

Avolavit ; sola mansit *Gratiarum Aglaja*
Ipsa princeps. Miror ipse, totus absque sanguine,
Adsto, terror horridus subit simul præcordia.

Ista sed: Quidnam tremiscis: quid labascis optume?
Concita profectionem: namque lætiscientibus
Interesse te *Deabus* interest & condecet,
Qui *Dearum* *alumnus* audis. Dixit, atque dexteram
Ilicet meam capeffit, inque *prata florida*,
Me deducit, *Albimont* *Iprata* nempe *florida*,
Labitur quæ *prater* *Albis*, & *sophorum* nomine
Otij *vocant* *gregales*, *otij* *sed* *nobilis*.

Imus ergò: eò venimus: Invenimus *Musica*
Cum *coborte* *Præsidentem* denuò *novemplici*
Ad *lyræ* sonum salire. *Diva* mox: Quin gaudijs
Jungis his *Sebethidum* *Musarum* *alumne* gaudia,
Quas vides gaudere, quas ovare *nuptialibus*,
Subridere, jubulare, luditare, *honoribus*?

Cui vicissim *Ego*: Mihi, *Regina*, quamnam gaudia
Quos *ovatus*, quosq; *risus*, quosque *lusus* *jubila*
Quæ *retexis*, *sacra* quæ *retexis* & *jugalia*?
Dic, *Illustria* *anne* sunt? *Illustria*. Ergò ediffere,
Quodnam *Illustre* *Par* *novorum* *Illustriorum* *conjugum*
Dexteras *nectat* *jugali* *foedere* & *tedas* *paret*.

Illa rursus. *Principum* *decora* *gemma*, *nobile*,
Lumen, *AUGUSTUS*, *Columna* *tuta* *LUNÆBURGIUM*,
Musici *Portus* *gregisq;* & *Aura*, *Patria* *Pater*,
Singulariâ *Deorum* *profatus* *propagine*,
Profaturus & *Deos*; *Hermete* *facundissimo*
Et *Suâda* *proxenetis* *arctiore* *copulâ*
Conjugat *sibi* *THEODORAM* *Principem* *pissimam*,

Principis

*Principis Magni RUDOLPHI: pro dolor! Magnus fuit
Immò Magnus famâ adhuc celebri in orbe terreo,
Magnus & verè in supernis caelorum cubilibus:
Principis Magni RUDOLPHI Anhaltini propaginem,
Conjugat sibi THEODORAM principem piissimam,
Servedanâ in urbe Zytho nobili prænobili,
Magnus AUGUSTUS Columna tutâ LUNÆBURGIUM.*

*His Olympus, hisce Tellus, Arvaq; his Neptunia
Nuptiis favent: foventque Principales Conjuges
Hos Olympus, hosce Tellus Arvaq; hos Neptunia.*

*O AUGUSTE Fax Dynastarum, umbo Lunaburgiâ,
Ergò adesne tandem? adesne? Nam tuis honoribus
Interesse concupiscit præpetum Cupidinum
Mater alma, concupiscit Alitum simul chorus,
Arcus instruit manum quis & pharetræ pendulæ:
His tener comes saluber Hymen, is cupidinum
Dux volucrum suavis, qui rapit viraginem
Ad virum, viragini studet virumque jungere,
Editurus Nuptiale carmen his solemnibus
Interesse concupiscit & tuis honoribus.
Et triformis ista Diva, seu Domiduca dicier
Juno, seu Jugalis optat, Virginensis aut Dea,
Nuptijs his interesse discupit prælustribus.*

*O AUGUSTE, Fax Dynastarum, umbo Lunaburgiâ,
Ergò adesne tandem? adesne? Tî lepore musteo
Ridet æbra, ridet ær, enitet vultus poli
Perferenus, emicat sol vernus, & Favonius
Mitior spirat, Boreaq; urentia lenit frigora.*

*O Auguste Fax Dynastarum, Umbo Lunaburgiâ,
En ut omnis exiliat, latiscat omnis angulus*

Undi-

Undique, & remugiant *montosa dorsa, collium*
Aggeres, supina vallis; plani ovent ut aquora
Insolentiore campi gaudio patentia.

Quà venis & quà recedis, *Umbo Lunenburgia*
O AUGUSTE, Fax Dynastarum, Ecce frigus algidum
Ilicet procul faceffit, usque quaque latius
Grata veris & Canoris se propagat *gratia.*

Quin & *Albidos fluenta* latiora murmure
Marginem pulsant utrumque: cæco ab alveo *Pater*
Cornua ALBIS atque *barbam* amat levare *vitream*
Sursum: *Najades*, salictis quotquot & sub umidis
Agminatim casta habent cubilia, auspiciatus
Convehunt in omen omnes faustiora júbila.

O AUGUSTE, Fax Dynastarum, Umbo Lunenburgia
Ergò adesne tandem? adesne? *Lata clangunt mœnia*
Servestana, pensiles vectesq; portarum, editæ
Turrium pinnaeq; clangunt; Urbis & munimina;
Fornicesq; consulentis Curia & templi enthei
Festis exultant sonis, *Aulaq; ovant palatia.*

O AUGUSTE, Fax Dynastarum, Umbo Lunenburgia,
Evidenti ut ipse plausu certet, anne conspicias,
Fulgidus tapete splendido paries? Palatij
Infirmum penetral? Omnis ut resultet janua,
Tegula, tigilla, limen, Cardo, Postes, Obices,
Inferentibus *novellis* se videndos *sponsulis,*
Sponsulis Illustriori profatis propagine,

O AUGUSTE, Fax Dynastarum Inclita, anne conspicias?
Et quid multa? *Comus ipse & ipsa simul lubentia,*
Gaudij datrix jocosa, copulati cum Deis
Patriis frontem explicant sereniorum & liberam.

Cuncta

Cuncta clangunt, cuncta reclangunt sono Penatium
Celsiorum : Ubique regnat Plausus & Faventia.

Omnibus gens maximorum, & omnibus gens infimam
Gaudijs nunc lata gestit, lata gestit gaudijs.

Omnium vox ordinum una est, una vox est ordinum :

Vive SPONSE, vive SPONSA, Compar Illustrissimum,

Vivite & virete longum : Vos novelli Conjuges

Vivite, ut decet novos Conjugales, vivere.

Vive, Dux AUGUSTE, Lux honora Lunaburgiū,

Principum decora Gemma; Sidus & prænobile,

Musici Portus gregisq; & Aura, Patriæ Pater.

Vive & AVGVSTI THEODORA Sponsa, Principalium

Lumen augustum viraginum, THEODORA mustea,

Principum ô Anbaltidum propago nobilissima.

Cypridos venustiores Candidatos aurea!

Sit vobis benè ô Mariti, sit benè & feliciter,

Annis ô bonis bonâq; sospitate conjuges,

Sit vobis benè ô Mariti, sit benè & feliciter.

Omne Iô bonum Maritis imprecor perenniter;

Deprecor nefasta cuncta Eorum & a penatibus.

Pestis absit, orbitas facessat hinc, & exulet

Annus degener, metus, querela, cura & impetus.

Ardor adsit mutuus; serena pax, Concordia

Cingat agros, cingat urbes duriterq; muniat.

Quos & Agros, quas & Urbes possidetis, Principes,

Principes decentiores Conjuges, Valentia

Certa pestilis triumphatrix luis circumvolet :

Sanitas circumvolet, relinquat & Morbonia

Quos & Agros, quas & Urbes possidetis, Principes.

Avolet Bellona vestris urbibus, juxta ac agris

B

Avolet

Avolet Bellona vestris : *Virgo custos Imperii*
Martium Caput fugare tentet Agris, Urbibus.

Hec Bellona! Eheu Gradive! Cuncta terrarum sola
Occupastis! Atq; in arma cuncta trusistis loca!
Pertrahit secum in Profundum sanguinem binominis
Ister Celtiberium, bibitq; Molda Pannonas,
Implet & ceu piscibus viris Euxina litora
Bosphorus; Borysthenes tremit, Cadmea iurgia
Rhenus horret & Visurgis, inque vires Patrie
Vertis, o Germanis, inquit, cruenta viscera?

Hic dolet pectus sibi contusum, & hic caput dolet:
Illa Gnatum plangit: Illa mortuum luget virum,
Iste fortunas ademptas, ille adustas villulas
Ingemit: ploratq; inultum dedecus Sejus suae
Conjugis, ploratq; inulta supra Cajus filia.
Et majora, quæ nefanda militis licentia
Apparat funesta damna, quæ disertum Nestorem
Delassare possient, docere si cupisceret.

Cœlicum sed ad precor Regem, Duces Celsissimi,
Avolet Bellona vestris urbibus, juxta ac agris
Avolet Bellona vestris : Virgo custos Imperii
Martium caput fugare tentet Agris, Urbibus.

Et quid multa? Cuncta cedant commodè atq; prosperè
Vobis o novi-Mariti Principes Celsissimi,
Ut Theagenis Charicleæ amore millies
Mille partibus siet vester torus beatior.


Vestro Olympus, Terra vestro applaudit, & salū toro:
Cuncta clangunt, cuncta reclangunt sono penatium
Celsiorum: Ubiq; regnat Plausus & Faventia.
Omnibus, gens maximorum, & omnibus gens infimam


Gaudijs



Gaudijs nunc læta gestit, læta gestit gaudijs.
Omnium vox ordinum una est, una vox est ordinum:
Vive SPONSE, vive SPONSA, Compar Illustrissimum
Vivite & virete longum: Vos novelli Conjuges
Vivite ut decet novos Conjugales vivere.
Liquit Oetam Vesperus: Vobis Parentum nomina
Porro mulseus Cupido mutuarier jubet.
Nixis damnetur & Mana Geneta Illustrior
Annuatim liberos datura SPONSA musteos,
Gestientes gloriosa perpetuare nomina.
Gloriosa Illustrium Parentum & Avorum nomina.
Fiat! Fiat! o Jheova vota da succedere,
Atque florulenta tandem cæli adire sidera,
In qua nil queat vetustas, Ira nil queat Jovis.
Dixerat: simul redintegrant choræas fervidas
Dux Apollo, Grex novensilum sororum, Aglaja:
Saltato choroq; in auram evanere protinus
Dux Apollo, Grex novensilum sororum, Aglaja.

F I N I S.





Id 4206
g

ULB Halle

3

004 167 287



f
56


Sie. 18 u. 25 nicht in PICA,
da Hochn. ⁺⁸⁰


10. Aug
Jul. 01

24 VD 17

M







6 IX.

Quod DE us benè vortat!

P A R I.

Sponsorum Inclito

Illustrissimis, Celsissimis, Generosissimisq;

Principibus ac Dominis

DOMINIS

AUGUSTO,

DUCE BRUNOVICENSI ET LU-
NÆBURGENSI, &c.

ET

DOROTHEÆ,

PRINCIPI ANHALTINÆ, COMITI

Ascaniæ, Dominiæ Servestæ ac Bernburgi, &c.

Serenissimi atq; Pientissimi Principis Anhaltini

RUDOLPHI VI. &c. *et manag. Lu. &c.*

Ex

Illustrissimâ

DOROTHEA HEDWIGE, DUCE BRU-
NOVICENSE &c. b. m.

Suscepta & relicta

FILIÆ

VII. Kal. Novemb. Anni 1623, SERVESTÆ
ANHALTINORUM.

Matrimonium ineuntibus:

Congaudent & congratulantur

M U S Æ

JANI CREMERI SILESI Musophili.

VVittebergæ, Typis JOHANNIS GORMANNI, Anno 1623.

*Viro Clav. Dr. Al. Petro a Jena
Præcepto colendo & cum salutis
mura pacis mittit J. C. p.*